



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LXVI. De octo beatitudinibus oppositu totidem peccatu[m].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

enim cum ad littus veniens, malos pilces à sagena charitatis excludet, & quicquid molestum est, foras mittetur.

S E R M O LXVI.

De octo beatitudinibus oppositis totidem peccatis.

**E**odem ordine quo præcessit culpa, subsequuta est etiã culpæ medicina. Primum peccatum est factum in cœlo per superbiam prævaricatoris angeli, qui dixit in corde suo *a*: *In cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* In seipso tumuit, & de sorte beatorum spirituum eiectus cœlorum regnum amisit. Contra hoc peccatum dictum est *b*: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Secundum peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus eius non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Contra hoc est dictum *c*: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Horum duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens *d*: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Tertium peccatum fuit, quod ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deslere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodo enim naturale est unumquemque velle, siue in vitiis, siue in virtutibus associare sibi confortem. Contra hoc peccatum est istud remedium *e*: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Quartum peccatum commisit Adam, qui consensit. *Adam enim (sicut ait Apostolus f) non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia eius voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit divinæ. Unde & à Domino ei dictum est *g*: *Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo.* Iustum quippe erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis vero ambigat plus eum debere conditori quam uxori? Siquidem uxori erat astrictus tantum per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum, quam unum tantum erga conjugis affectum. Contra hoc quartum peccatum, adhibitum est remedium, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur h.* Habuit quidem Adam iustitiam, à iusto Deo creatus iustus: sed quia non eam ex libro arbitrio direxit, facile ab ea per idem liberum arbitrium deflexit. Quo contradicitur per Psalmist. de Christo *i*: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Quintum æquè peccatum commisit, qui propriam

Sermones S. Bernardi.

X x x

culpam

1. Peccatum superbia; huic oppon.

1. beatit. a Esa. 14. d

b Matt. 5. a

2. Peccat. Inobedientia huic oppon. 2. Beat.

c Ibidem.

d Matt. 11. d

3. Peccat. Seductio Adami, huic oppon. 3. beatit.

e Matt. 5. a

4. Peccat. consensu huic oppon. 4. beatit.

f 1. Tim. 2. a g Gen. 3. c\*

Adam plus debebat Conditori quam uxori.

h Matt. 5. a

i Psal. 44. b

5. Peccat Ex-  
cusatio sui &  
accus. uxoris;  
huic. opp. 5.  
beat.  
k Gen. 3. b  
l Matt. 5. a

culpam retorfit in uxorem, cum ait <sup>k</sup>: *Mulier quam dedisti mihi sociam, de-  
dit mihi de ligno, & comedi.* Primo quidem crudelis in se, qui peccatū suum  
excusavit: secundo in uxorem quam accusavit. Et utique satis sumpta est  
digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cuius amore peccavit.  
Contra hoc peccatum dictum est <sup>l</sup>: *Beati misericordes, quoniam ipsi mise-  
ricordiam consequentur.*

6. Peccat Re-  
jectio culpe in  
serpentem. huic  
opp. 6. beat.  
m Gen. 3. b\*  
n Plal. 140. a  
o Matt. 5. a  
7. Pecc. Ma-  
lorum in bonos  
adiū, huic opp.  
7. beat.  
p Gen. 4. b  
q Matt. 5. a  
r Ibidem.  
s. Beat. op-  
posita Persecu-  
ioni malorum.

Sextum peccatum fecit Eva, quæ cum increparetur à Domino cur  
hoc fecisset, respondit ei <sup>m</sup>: *Serpens decepit me, & comedi.* Sic declinavit  
& ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis <sup>n</sup>, refun-  
dens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cum nil obfuisset sug-  
gestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & fortè præ-  
cessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Contra  
quod dictum est <sup>o</sup>: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Septi-  
mum peccatum factum est extra paradysum, quando Cain consurrexit ad-  
versus Abel fratrem suum, & interfecit eum <sup>p</sup>. Ex eo jam tempore inve-  
teratum est, ut mali iusurgant in bonos, & opprimant eos. Huius peccati  
remedium est illud <sup>q</sup>: *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Quod  
si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerant eos iusti audi-  
entes consolationem quæ sequitur, & dicit <sup>r</sup>: *Beati qui persecutionem pa-  
tiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ecce quam  
necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subiceret spiritui, hominem  
pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini.

#### SERMO LXVII.

De duplicibus Legis præceptis, moralibus, & figuratibus.

Ioan. 1. b\*  
Duplicita vet.  
Legis præcepta:  
moralia, &  
figurativa.  
Matt. 19. c  
Rom. 13. c  
Exod. 20. a  
Marc. 7. c  
Ezech. 20.  
1\*

**L** Ex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM Christum facta est <sup>a</sup>.  
Duplex in legē veteri præceptorum genus invenio. Sunt enim mora-  
lia quædam, ut est: *Non concupisces, non adulterabis, honora patrem tuum b,*  
& his similia. Sunt etiam figurativa & umbratilia quædam, ut est tauro-  
rum immolatio, & sanguis hircorum. Veruntamen carnalis ille populus,  
nec illa implere poterat, ne in his obtinere salutem. Unde & Salvator in  
Evangelio <sup>c</sup>, legis præcepta impropertat Pharisæis, quod propter traditio-  
nes suas irrita facerent Dei mandata, ipsa sine dubio in quibus esset ædifi-  
catio morum. Nam de cæteris ipse loquitur per Prophetam <sup>d</sup>: *Dedi eis  
præcepta non bona: ipsa planè in quibus esset umbra futurorum.* Quæ enim  
consequentia rationis, ut homine peccante aries multaretur, & diceret  
cum Propheta <sup>e</sup>: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam?* Merito sanè non bona  
præcepta populus non bonus accepit, dicente Propheta <sup>f</sup>: *Cum sancto san-  
ctus eris, & cum perverso perverteris.* Noverat enim Iudæorum corda carna-  
lia, unde & carnalia eis tradidit sacramenta, quæ non possent juxta con-  
scientiam

Psal. 68. a  
Psal. 17. d  
Illa jam obser-  
vantur lite-  
raliter per gra-  
tiam Christi: